Theses

Et Quæstiones Medicæ omnes

In Scholis Parisiensibus

Agitatæ et Discussæ,

a Mense Novembris 1740, ad Mensem Novembris 1744.

M.o Elia Col Devilars Decano.

Collegit ordinavit et in Facultatis Bibliotheca reposuit,

Hyacinthus Theodorus Baron Decanus anno 1751.

Prior Decanatus

Mri. Eliæ Col De Vilars,

a Die quinta Mensis Novembris 1740,

ad Diem tertiam Mensis Novembris 1742.

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis decimâ-septimâ Novembris M. DCC. XL.

M. JOANNE-LUDOVICO BAUDE DE LACLOY,
Doctore Medico, Præside.

An Lien idem munus, Hepati, ac Pulmones, universo corpori, præstet?

I.

SANGUINEM per totum corporis habitum & hepar fluxurum præparationibus indigere quis negaverit? Ex innumeris arteriarum capillamentis in exiguissima surculorum venæ cavæ ostiola intertranseundum, partibus spoliatus fuit & quidem tenuissimis. Ex assumptorum libris octo, quinque transpiratoriis arteriis in auras avolare demonstravit Sanctorius. Quot præterea particulæ longâ circulationum serie elaboratæ, fluidissimæ, arteriarum nutrioni insumptæ, ad initia venæ cavæ nullatenùs perveniunt? Quam immensa liquidorum copia à glandulis passim in corpore disseminatis secreta, venisque aut nullomodo, aut saltem in minimâ quantitate commissa? Quî ergo suis partibus in fluorem pronis defraudatus purpureus latex, novum molitetur circulum, nisi pulmonibus dilatationis contractionisque vices subeuntibus, stupendis vasorum intorsionibus, ventriculi dextri cordis iteratis contractionibus, aëris continuo & inæquali appulsu, novâ quasi officinâ recreatus, quas per arterias universi corporis dotes fluendo perdidit, easdem per solos pulmones fluendo recuperaret? Non minus auxilii sanguis per hepar fluxurus exigit. Hic per arterias mesentericas & cœliacam, ad ventriculum & intestina advectus, maximam lymphæ tenuissimæ copiam in innume-

ris, quibus ſcatet, ſuperficies interna ventriculi & inteſtinorum incerniculis amiſit; hinc prima venarum meſentericarum orificia craſſiſſimus ingreditur, tranſcolandus tamen per tenuiſſimos numeroſiſſimoſque ſubſtantiæ hepaticæ mæandros. Hi verò præ ſuâ tenuitate mille efformant obices, nullâ vincendos arte, niſi Lien (alterum pulmonem diceres) ſanguini tantum & tale adjiciat, quantum & quale fuit deperditum. Quis ergo inficiaseat ſanguinem, pulmones & hepar emenſurum, iiſdem perficiendum eſſe elaborationibus, quas præſtabunt Lien & Pulmones, ſi ad eoſdem producendos effectus demonſtrentur habiles?

II.

PULMO in thoracis cavo contentus duplex, alter in ſiniſtro thoracis latere collocatus plerumque in duos, alter in dextro, in tres lobos dividitur. Subſtantiâ eſt mollis, & quaſi fungoſus, vaſis omnis generis coagmentatur; in ſuperficie externâ, membranâ cum mediaſtino & pleuvrâ, continuâ donatur; præter ſanguinea vaſa, alia obtinet aëri ducendo mittendoque idonea. Ttrachea arteria à larynge uſque ad quartam thoracis vertebram deſcendens annulis conſtans cartilagineis parte poſtica abſciſſis, membranâ muſculari lacertoſâ glanduloſâque completis, in duos ramos ſoboleſcit, qui eâdem ſtructurâ retentâ in mille diffunduntur propagines, verſus finem in ſacculos membranaceos deſinentes, qui ſubſtantiæ veſicularis nomine inſigniuntur. Arteria pulmonaris ex dextro cordis ventriculo ſurſum aſſurgens in duos ramos dividitur; unus pulmoni dextro, alter ſiniſtro proſpicit. Hujus utriuſque rami propagines ſubſtantiâ cellulari ſuccinctæ, ramices bronchiorum individuo tractu comitantur, ſenſimque minores ac minores factæ, veſiculas pulmonares reticulari opere coronant, in venas ſimili apparatu intortas deſinunt: hæ ex ſuperficie veſicularum paulo in majores ramos ſeſe recolligentes, ſubſtantiâ interlobulari tanquam vaginâ adſcitâ, per quatuor truncos in auriculam lævam deſinunt. Arteriæ bronchiales duplici aut triplici trunco ex aortâ inferiore infrà ligamentum arterioſum emergentes, bronchia, cunctaſque arteriarum & venarum pulmonicarum expanſiones comitantur. Miremur ad eoſdem effectus in ſanguinem, fabrefacta organa Lienem & Pulmones, eâdem ferè ſtructurâ molli, fungoſâ vaſculoſâ donari. Lien enim molle, figurâ ovale ſeptem aut octo feré digitos tranſverſos longum, quatuor aut quinque latum, involucro membranaceo ſimplici ſuccinctum, rubrum & cellulare viſcus ſic videtur fabrefactum. Arteria cœliaca, miſſis hepati & ventriculo craſſioribus ſurculis, arteriam ſuppeditat ſplenicam, quæ juxta partem poſticam pancreatis decurrens, tranſverſali tramite è regione, *Epigaſtricâ* ad *hypochondriacam* ſiniſtram pervenit, miſſis identidem ad pancreas, ventriculum, omentum, ſurculis. Mox verò in plurimos craſſos ramos diviſa, adſcitâ ab omento vaginâ, ſubſtantiam Lienarem ingreditur, datis brevibus ſurculis ſiniſtræ ventriculi oræ qui vaſa brevia nuncupantur. Nulla autem pars in Liene quam multiplici ſuorum ſurculorum expanſione non attingat. Hîc in racemos glanduloſos collecti, illîc in cava veſicularum patentioribus oſculis dehiſcentes, alibi cum venis inſtitutâ anaſtomoſi, continuitatis ſerie expanduntur. Ex tot tamque diverſis arteriarum finibus, orta venularum primordia in ramos poſteà ſenſibiles recollecta, conſtituunt tandem circa ſuum ex Liene exitum plurimos inſignes truncos, ex quibus in unum coaleſcentibus exurgit demùm truncus venæ ſplenicæ, qui juxta partem poſticam pancreatis modò recto, modò obliquo, & quaſi ſerpentino tractu verſus hepar decurrens, receptis ex ventriculo, meſenterio & omento ramis, deſinit in truncum venæ portarum. Nec plures Lien ſortitur nervos ab intercoſtali funiculo, quam pulmones ab octavo pari. Suis quoque Lien ut Pulmo inſtruitur vaſis lymphaticis & patentioribus, canalique excretorio ut Pulmo caret. Conſpirantia inter ſe tot vaſa & partes ad eoſdem prorſus effectus producendos quis non idoneas agnoſcat, Cùm verò ſanguis per Lienem trajectus, ad hepar

totus appellat, non secùs ac liquores qui per pulmones sollicité fuerunt trajecti, ad universum corporis habitum deferuntur. Numquid hinc concludere est ex tentaminibus similibus institutis in sanguinem, per pulmones & Lienem transfusum, Lienem eadem munia præstare sanguini ad hepar fluxuro, ut pulmones, liquoribus ad universum corporis habitum expellendis.

III.

PULMONES præcipuam sanguificationis officinam nemo nisi animalis œconomiæ rudis diffitebitur. Per asperam videlicet arteriam & bronchia dilapsus aër distendit pulmones, qui eâdem proportione flaccescunt & constringuntur, quâ ejicitur spiritus. Singulis ergò respirationis instantibus, diversam affectant figuram vesiculæ, nulliusque sunt tenaces; hinc vasa quæ reticulari implexu ipsas ambiunt diversas positiones sortiuntur, varios reptatus orbesque impediunt; hinc modò in gyrum, modò collabentibus vesiculis in angulos & amfractus erunt disposita. At verò per hæc, columnæ liquidorum vi magnâ ventriculi cordis dextri protusæ, mox in innumeros impingent obices, modò in angulos arietabunt, modò evanescentibus vasorum crispaturis, expeditiores, uberiùs ad orificia venarum appellent. Ex his omnibus quis non concludat in pulmonibus potissimùm elaborari sanguinem quòd vesiculari compage in omnem formam flecti cereâ, pulmones ipsi fuerint coagmentati. Non absimilia à Liene præstantur. Collocatus in hypochondrio sinistro Lien immediatè infrà diaphragma substantiâ cellulari amictuque membranaceo involutus, alternas diaphragmatis & musculorum abdominis pressiones patitur; hinc quemadmodum in pulmonibus, ita & in Liene figuram suam facillimè mutant cellulæ. Cùm verò juxtà harum parietes arteriæ venæve repant, idem ergò sanguini per has fluenti præstat beneficium Lien, in glandularum acinulis à *Malpighio* observatis partes sanguinis attenuantur, in cavitatibus verò cellularum depositus premitur inæqualiter & agitatur. Ergo fluidissimus ex arteriis appellit ad venarum initia, aut purissimus ex cavo vesicularum fugitur à venis, aut ex glandulis Lienaribus dilutissimus venas subit. Quid ergò mirùm si fluidior sanguis in splenicâ venâ appareat qualis observatur in venis pulmonicis. Ad eosdem ergò effectus colludunt Lien & Pulmones: si tamen levioris armaturæ hæc rationum momenta videantur, non nulla supersunt exponenda ex quibus veritas dilucidabitur.

IV.

QUOT munera præstet hepati Lien, satis superque demonstrant morbi quibus torquentur ii quorum Lien præter naturam durus aut Scirrhosus apparet. Tanta est inter utrumque hoc viscus affinitas, ut uno suis muneribus obeundis impare, alterum derepentè doleat. Ex cadaveribus morbo Lienari enecatis, vix unum ex vigenti morbo hepatico non fuit tentatum. Læso igitur Liene, læditur & hepar. An quia Lien nervos à plexu hepatico recipit? At reclamat Anatome. An quia obstructis arteriæ Lienaris capillamentis, uberior liquidi copia versùs hepar derivatur? Vix quidem probabile. Ast sicuti certâ observationum fide compertum est, in Liene elaborato sanguine, crassos & quasi effœtos, qui per venas mesentericas assurgunt, latices, per exiguissimos ramorum superiorum venæ portæ tubulos, liberè ad cavam usque appellere; sic ex Cavâ redux in dextrum cordis thalamum omnis massa sanguinis, arteriarum, venarumque pulmonarium emensa stadium, liberè, tutò, postea aortæ trunco ipsiusque tenuioribus ramis committitur, & remotissimos vasorum tenuissimorum obices superat. Incassum itaque cum sanguine ex intestinis, ventriculo & omento reduce volverentur biliares globuli usque ad sinum venæ portarum, nisi beneficâ ex Liene profluente liquidi copiâ, novo quasi vehiculo sustentati & diluti, ad poros usque biliares, ii, transferrentur. Splenicis supervenientes hæmorrhoides quam necessaria sit actio Lienis in sanguinem per hepar fluxurum satis superque probant.

V.

MAJORIS ergò momenti censendæ sunt Lienis functiones quam à plurimis Anatomicis cogitatum fuit. *Erasistratus* vulgi opinione (quod cursoribus Lienem, ponderis & dein punctilis doloris vitandorum gratiâ, eximi, perperam credidit) persuasus, Lienem frustra factum esse quodammodo attestatur. *Aristoteles* Lienem adulterati jecoris loco recenset. Alii ipsum habuere tanquam atræ fœcis incerniculum, canalique excretorio ipsum donari autumatunt quo mediante Lienis recrementum in ventriculum eructaretur. Verum in hos insurgit *Vesalius lib. V°. cap. IX°.* his verbis. *Ego sanè de hâc recrementi Lienis in ventriculo eructatione & ejus usu nihil affirmare audeo: neque etiam Sectio, hæc, quæ tamen citra ullam controversiam Anatomes Professores audacissimè asserunt, mihi luculenter commonstrat. Primùm enim nullum meatum illi, quo bilis in intestina repurgatur, similem esse haud ambigo: venæ autem quæ sinistro lateri implantantur, non à Lienis prodeunt corpore, sed ab aliis quæ jam Lieni inseruntur.* Usus ergò vasorum brevium qualis ante tempora *Vesalii* fuit acceptus, ipsi *Vesalio* non arridebat, nec minus displicuit *Malpighio.* Hæc enim addit *cap. VI°. de Liene. Ligato splenico ramo libera adhuc comes arteria permaneat, ita ut propulsus sanguis à Liene refluens, impeditam inveniat viam in itinere ad jecoris portas; ligentur interim portiones vasis brevis propè tunicas ventriculi, ne sanguis à comitibus in ipsum irrumpat, vel mavis digitis compresso vase brevi versus splenicum truncum sanguis exprimatur, etenim licet impensè turgeant Lien, & ramus splenicus, non tamen unquam à Liene ascendet sanguis per continuatum vas breve in ventriculi fundum, sed, impediente valvula in hiatu ejusdem vasis in splenicum ramum, detinebitur, donec, soluto vinculo, in jecur rapiatur, vacua semper & flaccida interim permanente vasis brevis inter valvulam, & ligaturam seu digitorum pressuram portione.* Nec ridicula minùs apparet horum sententia qui in splene sedere luxuriem veneremque, tam vigilem quam ludicram in insomniis. Evanescant hæc deliramenta, ad affusam ab observatorum Principe Clarissimo *Malpighio* lucem. Leges circulationis, vasorumque per Lienem serpentium accuratiùs cognita indoles, fictitia hæc imaginationis ludibria dissipavere, atque ad mechanismi trutinam facem præferente Anatomiâ, visceris hujus ut & pulmonum revocaverunt. Ex his concludere est.

anchiones

Ergò Lien idem munus hepati, ac pulmones universo corpori præstat.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Josephus de Jussieu.

M. Robertus-Hubertus Linguet rei herbariæ Professor.

M. Philippus Davier de Breville, Dotariæ Hispaniarum Reginæ Medicus perpetuò ordinarius & Chirurgiæ Professor designatus.

M. Henricus-Franciscus Bourdelin, Scholarum Professor.

M. Petrus Roussin de Montabourg.

M. Petrus Maloet, Consiliarius Medicus Regis ordinarius, nec non Domûs Regiæ Invalidorum Ducum & Militum, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Antonius-Joannes Daval.

M. Achilles-Franciscus Fontaine, Chirurgiæ Professor.

M. Guillelmus de Magny.

Proponebat Parisiis PETRUS LALOUETTE, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1740, à sextâ ad meridiem,

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1740.